

Dissertationem inauguralem de fluxione ventris chylosa ... / Henricus Augustus Jacobi.

Contributors

Jacobi, Henricus Augustus.
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.

Publication/Creation

Vitembergae, [1699]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jw9fm3ej>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2. D. B. V. 19
DISSERTATIONEM INAUGURALEM 26 33

DE

FLUXIONE VENTRIS CHYLOSA,

EX AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

IO. GOTHOFREDO
BERGERO,

D. ORD. MED. SENIORE, ET

PROF. PRIM.

PATRONO AC PRAECEPTORE

AETATEM COLENDO,

PRO LICENTIA

ADSPIRANDI AD SUMMOS IN ARTE
SALVTARI HONORES

P. P.

HENRICVS AVGVSTVS IACOBI,


Dresd. Mith.

A. D. IANVAR. cIs Isc IC.

IN AUDITORIO MAIORI,

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS.

VITEMBERGAE,





DE
FLVXIONE VENTRIS
CHYLOSA

DISSERTATIO INAUGVRALIS.

I.



Nulla humani corporis operatio inanem facultatum operam demonstrat, id certe chylicationis negotium aperte docet, in quo natura chymicorum institutum sequitur, & explosis tot facultatibus ancillantibus, meris ingenii commentis, munus suum ad modum solutionis atque extractionis solet explere. Etenim qui in conficien-

dis liqvoribus illis, quas essentias, tincturasve nominant, studium & industriam collocant, rei primum solvendae ac extrahendae sibi copiam faciunt, quam deinde, adhibita ex praescripto artis praeparatione, vasi committunt, affusoque idoneo liqvore, qui a chymicis menstruum dicitur, blando demum, ac miti calori, quoad satis videtur, exponunt, dum ex-

tracta pars melior, & optata, traiectione per colum segregari a parte inutili, atqve ulteriori digestionis, vel circulationis motu magis elaborari, & ut vocant, exaltari possit. Eodem natura instituto, dum cibum in succum sangvinemqve convertit, utitur, ac nullis in consortium laboris adscitis facultatibus aliis, mechanica tantum, eaqve simplici, et compendiaria, ratione munus suum tuetur. Hac mente multas fabrefecit officinas, viasqve, & instrumenta, quibus alimenta in partes dividantur, ac minutatim concidantur, tum a particulis ineptis liberentur, ac seiungantur, introqve in corpus diducantur. Inter haec os primum tenet locum, in quo cibi primam subeunt praeparationem, qua vinculis dissimilium partium exui paulatim, ac nativam suam indolem, naturamqve amittere, incipiunt, cum dentibus conteruntur, ac salivae, e pluribus ductibus, in oris cavum hiantibus, emanantis vi colliquescent, atqve a crebra linguae labiorumqve commotione huc illuc iactati, ad ventriculum demittuntur. Cuius tenero amplexu apprehensi, a commotione ultro citroqve facta, et repetitis septi transversi ictibus, ventriculum succutientibus, ac novi menstrui, ex villis arteriarum gastricarum exstillantis, accessu, adiuvante etiam blando adiacentium viscerum calore, ulterius divisa & soluta, in massam sensim liquidiores abeunt, ac pedetentim in anfractuofum intestinorum tractum, facta ventriculi a fundo pylorum versus constrictione, extruduntur. Quo loco novis perfusa humoribus massa ciborum, lympham nimirum, ex multiplicibus intestinorum glandulis, & pancreate adveniente, & bile, magna liqvandi vi praedita, penitus tota exsolvitur, iustumqve nata liqvorem, ac sensim elactescens, florem suum lacteum chyli nomine in vasa lactea amandat.

II.

Ista vero secretio chyli sola percolatione mechanica peragitur, quando in eo negotio porosae ac perviae lactearum tunicae coli, et incerniculi, ipsae autem illae venae excipulorum officium faciunt, motuque intestinorum dilatationis & compressionis alternatae, quem peristalticum appellare solemus, adactum eo succum elaboratiorem recipiunt, detrimentorum fordibus, quae pororum angustis arcentur, relictis, atque ad ultima intestina, per alvumque recedentibus, quae natura viam exitumque patefecit. Ut nihil quidem causae sit, quamobrem alium quandam secretionis modum hic in subsidium vocemus, & vel cum *Fr. de le Boe Sylvio Diff. med. II.* a concurrentibus succis ex pancreate & hepate per quandam effervescentiae, vel fermentationis motum, feces a chylo praecipitari, vel cum aliis, chylum media bile, tanquam vinculo, & glutine, cum sero, aquave, copulari, vel albedinem pariter ac aptitudinem induendi purpuram sanguinis, a permixto in intestinis eiusdem biliosi humoris sulphure recipere, opinemur. Id quod nuper admodum alios inter *Raym. Vieussens* fecisse legimus *Ep. de Sangv. hum.* Haec enim omnia unum hoc, ut alia omittam, facile refellit, quod ex egressa per pylorum alimentorum materia etiam ante, quam cum bile misceatur, chyli quaedam portio lacteas duodeni venulas ingrediatur: quas quippe turgidas chylo magno numero ex illo primo intestino super pancreas ad magnam mesenterii glandulam contendere, saepius in canibus vidimus. Nec aliter testatur *CL. Verbeyen*, quum se eodem in intestino non semel observasse, scribit, huiusmodi venarum aliquot centenos ramusculos, quorum trunculi transversim per pancreas ad eandem praedictam mesenterii glandulam excurrerant *Anat. Tr. II. c. XII.*

quamvis aliter *VVhartonus* senserit, qui ab intestinis, venis lacteis gaudentibus, duodenum immerito exemit, *Adenogr. c. IIX.* Quod autem succi chylosi in transitu lactea primi intestinorum anfractus vascula effugit, secundi quidem tangit, & quod hunc praeteriit, illud omnino emittitur per tertium, quartumve, vel alium eorum anfractuum, qui frequentes admodum, numerosique, subsequuntur. Nam ei praecipue fini quandam exsolvendi vim non ori tantum, & ventriculo, sed toti etiam intestinorum canali Deus indidit, ut a confluentibus tot succis serosis, ac bile, sale foeta falso, volatili, & oleoso, praeparatus ore ventriculoque cibus ita ulterius in intestinis dividatur, & diluatur, quo & promoveri commode per volumina illorum, & oleosae eius particulae evolvi melius, ac imbibi copiosius a lymphâ, didique in vasa lactea possint, ut nullus tandem effugiat, aut lateat, aut excidat chylus, magis utpote magisque evolutus, & elaboratus, sed omnis omnino distribuatur.

III.

Nam perpurgatus eo modo a fecibus chylus, & undique ex omni intestinorum genere in lacteas compulsus venas, gradum inibi haud sistit, sed a subsequente protrusione, impresso ipsi ab intestinis motu, per infinitos fere surculos, mesenterium perreptantes, in huius glandulas ingreditur, lymphaeque accessione dilutus, novis inde radicibus, sibi passim occurrentibus, ac coeuntibus, maiores in ramos, ceu rivulos, atque ex his in fluvios quasi varios, propellitur, & iuvantibus semilunaribus valvulis, motuque reciproco abdominis, ac eius viscerum, ad confluentem suum, sive receptaculum *Pecqueti*, lacteis & lymphaticis inferioribus commune, omnis corrivatur. Quo loco non praetermittendum est munus, quod cum conglobatis aliis commune habent mesenterii glandulae,

dulae, quippe quae vasis lymphaticis, hic loci lacteis appellatis, primi & secundi generis interiectae sunt, non ut receptum ex nervis spiritum, quem vocant, animale cum chylo maioris perfectionis causa misceant, quae quorundam est opinio, sed ut vasa lymphatica & lactea suffulciant, & corculorum instar minimorum motu suo systaltico pertranseuntem chylum lymphamque conqvascent, ex unoque vase in alterum transmittant, atque ad receptaculum commune propellant. In quo deinde affusa ex ventre & cruribus, lympham perfusus de novo chylus, compressionibus diaphragmatis colliditur, & aortae, atque arteriarum intercostalium iterata quavis diastole elatus, ductus thoracici valvulis, veluti gradibus, adscendit, & superato demum ostiolo semicirculari, quo nomine ultimam praedicti ductus valvulam appellavit inventor eius *Eustachius L. de vena s. pari*, in venam subclaviam sinistram delabitur, sanguinisque fluente confusus, dextrorsum cor versus per cavam abripitur, ut motu sanguinis, cum intestino, tum progrediente, tanquam ulteriore digestionem, & quodam circulationis modo, eiectionis per poros cutis & renum impuritatum reliquiis, vestem suam albam exuat, atque in purpuream vitalem tincturam, lymphamque crystallinam commutetur.

IV.

Atque haec quidem regia est via, quae facta, tecta quae, chylus non modo a fecibus purgatur, sed etiam ad sanguinem ducitur, & per cuncta diffusum membra, irrigat universum corpus, ac vegetat: labefacta autem ea, idem languere incipit, subtractoque nutrimento, extenuatur & contabescit, omnibusque exhaustum succis, spe recuperandae valetudinis amissa, corrumpitur tandem & occumbit. Id quod haud raro evenire videas illa ventris fluxione, quae ob permixtum fecibus succum chy-

chylosum & alibilem, liquida, diluta, & colore subalbida, vel cinerea, aut lutosa, ac saepe pultis, vel cremoris specie, egeruntur. Hanc Graecos fluxionem, de qua in praesenti agere cum Deo constituimus, κοιλιακὴν appellasse, quum, culpa in ventriculum coniecta, reum illum peregerunt, ac turbata facultate concoctrice, chylum adhuc crudum, corruptumve, una cum fecibus deponi, docuerunt, ex illorum monumentis cum *Fernelio Pathol. L. VI. c. X.* haud difficulter colligas licet. Neque obesse huic sententiae potest, id quod a *Mercuriali de Aff. inf. ventr. L. III. c. X.* annotatum legimus, non omnes auctores, qui de eo morbi genere, quod κοιλιακὸν nominant, aliquid literis consignatum reliquerunt, una inter se voluntate consentire; quippe cum illa opinionum dissensio praecipue ex verae ignoratione causae exoriri videatur. Ac Graeci quidem omnes, qui de morbo hoc scripserunt, eum inter fluxiones ventris retulerunt. Inter illos vero *Galenus* nullum fere discrimen inter leienteriam atque coeliacam agnovisse visus est *VI. de loc. affect. I.* Quod etiam *Paulus Aegineta* voluit, quum duplicem laevitatis intestinorum differentiam constituit, atque cum altera, ex facultatis cibum retinentis in ventre debilitate oriunda, coniungendam esse putat coeliacam affectionem. Nam in hac, inquit, debili existente ventre ad coquendos & distribuendos cibos, laevia, & cruda, ac liquida egeruntur, alvo in omnibus fluxione laborante, de re med. III. XL. Sed *Archigenes*, medicus antiquissimus, apud *Aetium Tetrab. III. S. I. c. 32.* Coeliacam, ait, affectionem proprie non appellari, si cibi crudi & incocti inferne prodeunt, neque si corrupti, ac in peregrinum habitum mutati: verum tunc solum, quum laevia, & humecta excrementa profluunt, ventre prae imbecillitate ea digerere nequeunte. Hos secuti deinceps medicorum complures, leien-

leienteriam atqve coeliacam gradu solummodo, five, ut *Sennertus* iudicat *Pr. L. III. P. II. S. II. c. V.* ratione saltem maioris & minoris differre, altera qve cibos crudos, nec permutatos, ac protinus, ut sumti sunt, inferne prodire, altera mutatos quidem illos, sed imperfecte, ac prave, & corrupte ut plurimum, nec tam cito reddi, tradiderunt. Quos proinde omnes, imitatus *Fernelius*, *Ballonius* reprehendit, quando utramqve affectionem habita cum causarum, tum sedis, vel partis affectae, ratione distingvit, atqve in altera digestionem & macerationem, solutionemqve in ventriculo, in altera vero secretionem chyli a fecibus in intestinis, atqve ἀνάδοσιν, five distributionem eius, & transitum ad sanguinem impediri, scribit, *Epidem. L. II. p. 218.* At inter Latinos *Celsus* morbus, qui κοιλιακός a Graecis nominatur, in ipsius ventriculi porta consistere dicitur. *Sub hoc*, inquit, *venter indurescit, dolorqve eius est: alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremae partes frigesunt: difficulter spiritus redditur. L. IV. c. XII. de Med.* Hunc affectum *Ant. Benivenius* in Paulo, patre suo, solo lacte condito, in ventrem iniecto, ac multis subinde strigmentis depositis, curatum observavit, *de abdit. morb. & sanit. caus. c. CVI.* Eundemqve cum illo forte morbo, quem κολικόν Graeci vocant, a *Celsus* confundi, *Remb. Dodonaus* coniecit, in *Annotat. p. m. 282.* Verum putarim, illum *Celsi* locum de initio morbi, priusquam fluxio ingruat, intelligi, & cum prioribus conciliari facile posse.

V.

Neqve enim hanc fluxionem repente hominem adoriri, sed fere ante, quam ea corripatur, de abdomine sensim indurescente, & dolore, ventrem divexante, conqueri aliquandiu audias. Atqve is mitior plerumqve praecedit, & modo ilia,

modo umbilicum, ac hypochondria, elata suspensaque, infestare videtur. Saepe quoque parum, aut vix percipitur, sed gravitas tantum quaedam sentitur circa umbilicum, ac hypochondria; interdum vero gravior est, sensumque anxietatis per corpus dimittit, & somni defectionem infert. Accedunt & mugitus, & borborygmi, sive flatuosi impetus & motiones in intestinis, intusque venter ita nonnunquam sibilat & admurmurat, ut in falsam & inanem imaginationem serpentum, bufonum, aliorumve animalium sordidorum, inibi latentium, atque oberrantium, cum aegrotans ipse, tum adstantes pertrahantur, & saepe fascinationes & incantationes incusent. Quemadmodum de puella quadam paupercula, simili modo laborante, narrat *Isbrandus de Diemberbroeck Anat. L. I. c. IX.* Inter haec deses aeger fit, & vigil, ac inquietus, ventreque veluti contuso, & confracto, dolet, & oppressionem virium, maxime illarum, quae motum instaurant, accusat. Appetitus tamen non omnibus deiectus est, sed nunc mediocriter constat, interdum etiam viget, nec raro augescit & excedit, atque in *βῆλιμον*, & famem caninam vertitur, sicut ab *Aetio L. IX. c. 37. Foresto, L. XXII. obs. 26. Bontio de med. Ind. c. XI.* atque in *Miscell. A. N. C. Dec. I. Ann. II. obs. 52.* annotatum legimus. At quamvis alimenta appetat aeger, & comedat, ac conficiat, nullum tamen ex iis fructum capit, sed florem coloris, qui olim micabat, paulatim amittit, & male coloratus, ac pallidus, & valde debilis evadit, sensumque corpore extenuari incipit, nec nisi difficulter aliquid alvo reddit, aut eadem quoque pertinaciter clausa, & adstricta, anxie laborat. Quae quidem indicia eiusmodi sunt, ut in suspicionem mali vocari debeant. Atque haec cum etiam a *Celso* enarrentur in praedicto coeliaco ventriculi, quem appellat, morbo, eum quidem huc referre vix dubitaverim.

Sub hoc, inquit, venter indurescit, dolorque eius est; alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit, extremae partes frigescent, difficulter spiritus redditur. Sic enim, ineunte malo, multos affligi intelligas, quando & alvus segnior officium suum facit, & pro diversa aegrotantis natura & constitutione arctissime saepius clausa, penitus cessat. Quo fieri quidem solet, ut & tumor, cum dolore coniunctus, abdomen magis invadat, & distendat, & pulsus celer, ac frequens, sensim paulatimque excitetur, tanquam febricula quaedam lenta affligeret, subinde etiam horror, vel frigus persentiat, difficulterque ducatur spiritus, quousque tandem aggravante nimis collectorum pondere admonita natura, perruptis obstructionum claustris, suapte vi, aut remediis adiuta, & laceffita, contentorum eiectionem moliatur. Quod inter alios perbene *Fernelium* animadvertisse legimus, quando l. c. *quumque illuvies*, ait, *intestinorum sua copia gravis esse coeperit, vel sponte infra, interdumque supra, prorumpit, vel a natura laceffita propellitur: nonnunquam lenissimo clysteris medicamentive irritamento exit.* Et deinde, ante eruptionem, pergit, *abdomen distenditur, venterque prominet: hisque succedens spontanea perturbatio, coeliaca est affectio.*

VI.

Ita vero complures hanc fluxionem adoriri & invadere videas, eamque modo minori, aliquando maiori, tantoque interdum impetu moveri, ut uno die incredibilis copia reddatur, & multis subinde deiectionibus etiam leviusculae animi defectiones obrepant. Quae vero profluunt, ea humida sunt, & laevia, & aequalia, sui que similia, interdum fluidiora, interdum viscida magis, & colore modo subalbida, vel cinerea, modo varia, ac veluti lutosa; quin & corrupta saepe, & prava,

ac sordida sunt, & pessime olent, quae egeruntur. Purum autem succum alibilem, & forma chyli, ut cum *Platero Pr. T. III. L. II. c. XI.* quibusdam est persuasum, eiici, haud temere crediderim, propterea, quod portio chylosa a partibus feculentis nondum est secreta, sed iisdem immixta, albo chyli colore apparere nequit, imo sordibus confusa aliquandiu permanens, a suo miti ingenio plerumque degenerat, & vel subalbida, vel grisea, sive cinerea excrementa reddit, vel in lutosam, sordidam, foetentemque abit colluviem, ut scite *VVepferus* advertit in *Ep. ad Puerarium in Burneti Thes. med. Pr. T. I. L. III. S. XLVII. subs. II.* Adhaec eadem fluxio nonnunquam per intervalla, nunc longiora, nunc breviora, certaue, vel incerta, ut *Aetius & Forestus* l. c. referunt; aliquando vero frequentius, continuoque affligere solet. Saepe etiam diu durat, interdum vero brevi finitur. Nam, ut scribit *Fernelius*, *vacuato humore omni supervacuo, profluvium hoc etiam sponte conquiescit; interdum eodem, quo coeperat, die, interdum postero, aut tertio.* Saepe autem non statim desinit, sed diutius durat, ac perseverat, dum corpus ob inopiam humidi nutritii emaciatum, omnibusque exhaustum viribus, extrema tandem tabe conficiatur. Quemadmodum plurium observationes medicorum animadverterunt, atque ipse demum infelix eventus abunde comprobavit.

VII.

Quae quidem omnia ad indolem mali perdiscendam adjuvant permultum. De quo tamen antequam quidquam statuamus, breviter, oportet, complectamur ea, quae circa productionem eius occurrere solent, & sensibus atque experientia cognoscuntur. Principio inter omnes constare arbitror, nulli quidem aetati parcere hoc genus morbi, magis autem infantes

fantes & pueros, multum comedentes, maleqve nutritos, ac durum tumidumqve gerentes ventrem, infestos habere. Hos enim saepius ita laborare videas, qvanqvam & aetate perfectos, iuvenes pariter ac senes, eodem affici modo haud raro intelligamus. Atqve hos quidem omnes ut plurimum ex victu, naturae inimico, eum in morbum incidere, exempla, medicorum monumentis tradita, confirmant. Quo in numero habenda sunt alimenta, facilem subeuntia corruptionem, ut fructus sunt horarii & fugaces, lactinia, cerevisiae feculentae, sive infida fermentatione, sive frumenti crassitie turbidae, itemqve aquae putridae, ac stagnando a naturali indole desciscetes. Eodem pertinent cibi crudi, duri, sicciores, acerbi & adstringentes, qui nec vinci facile, neqve distribui, aut excludi possunt. Quin & ex immoderata cibi, etiamsi boni succi sit, copia, primas infarciendo vias, & compactas, minimeqve pervias, reddente, hoc nasci malum, compertum est. Has enim praecipue ob causas pueris voracibus, gulonibus, pauperibus, sordidis, & militi gregario, familiaris esse haec fluxio solet. Testem inter multos cito *Diemberbroeckium*, longo faciendae medicinae usu confirmatum. *Erat, inquit l. c. miles Scotus, qui in India occidentali, atqve in primis in longo maritimo itinere huc redux, diu pravis cibis usus fuerat, atqve hinc tandem morbo langvens, a coeliaco fluxu cum ventris torminibus, appetitu tamen ciborum mediocriter constante, laborans, ad nosocomium nostrum delatus est, in quo cum per tres quatuorve menses commoratus fuisset, ac in coeliaco fluxu curando omnia frustra tentata essent, tandem totus emaciatus obiit.* Quosdam potu frigido, vino nempe gelido, aquave, nive refrigerata, aut conglaciata, idem contraxisse malum, testantur *Pompeius Saccus, Med. Theor. Pr. Consult. L. & Raym. Io. Fortis, Cent. II. Consult. & Resp. med. XCI.*

II X

Huius autem generis errores eam fluxionem hoc consequi facilius observes, quo magis otia ignavum corpus corrumpunt, & languidum idem infirmumque reddunt; aut quo vehementius immodicae & intempestivae exercitationes illud exagitando, necessariam ciborum solutionem, secretionemque, impediunt & conturbant. Nec vero parum ad hanc rem aërem conferre liquet, praesertim si frigore, vel humiditate, noceat, ac vehementius corpora adstringat & comprimat, introque humores, expiratione distendos, reiiciat, totumque adeo corpus gravius afficiat & offendat. Atque ut retentio fecum, & tarda impeditaque alvi exoneratio, plurimorum malorum, sic eius quoque fluxionis, fons & origo haud raro existit. Solet tamen haec eadem fluxiones quoque alvi, ac praesertim dysenteriam graviores, consequi: quae quidem omnia allatis in medium exemplis declarari possent, si vel rei ipsius flagitaret necessitas, vel arctum temporis paginarumque spatium permittere videretur.

IX.

Nec vero adhibendi tantum sunt sensus ad ea, quae in corporibus integris dantur percipienda, sed etiam in mortuorum cadavera incisa, eorumque viscera, diligenter inquirendum. In quam quidem rem laudatus antea *Diemerbroeckius* exempla aliquot fluxu coeliaco extinctorum affert, in quibus omnibus innumerabiles mesenterii glandulae, (quarum alioqui maxima pars in sanis ob suam parvitatem vix potest conspici) colore praeditae albo, vel variegato, & marmoris instar ex albo nigricante, ac mirum in modum turgidae, duraeque visae fuere, ita ut multae quidem magnitudinem fabae, sed plurimae avelanae,

lanæ, nec paucae nucis moschatae, æqvarent. In iis autem dissectis vel candida quædam crema, in caseosam indurata substantiam, vel chylus ipse lacteus albisimus, in casei formam ac duritiem concretus, repertus fuit. De iisdem glandulis commemorat *Riverius Pr. L. X. c. IV.* illas in pueris alvi fluxu coeliaco & chyloso mortuis, strumosas observatas fuisse. Easdem quoque scirrhasas plane reperit *G. Theoph. Bierlingius in Misc. A. N. C. l. c. Iac. Bontius* autem, qui malum hoc cum leienteria confundit, ac Indicis regionibus familiare esse tradit, sæpe insignes abscessus in mesenterio, imo illud aliquando totum absumentum deprehendit, cohaerentibus tamen intestinis, aut potius inter se confusis nullo ordine, tenuibus pelliculis, sive membranulis adnatis *l. c.* Ac demum *Sylvius*, se abrasam hinc inde crustam intestinorum villosam, illique subiectam intestini tenuis partem cicatrice, a magna graviqve dysenteria relictâ, obductam, non semel invenisse testatur. *Pr. L. l. c. XVI.*

X.

Enarratis igitur iis, quæ circa coeliacam accidere, historiae & observationes medicae docent, nunc quidem facile patet, decipi nimium nominis etymo, qui huius mali fomitem in imbecilla ventriculi concoctione collocandam esse, etiam nunc opinentur. Neque enim in ea affectione digestionem, & macerationem, solutionemqve ciborum in stomacho, sed potius secretionem succi chylosi in intestinis, transitumqve per vias lacteas ad sanguinem laedi ac impediri, vel illud argumento esse potest, quod non solum in plerisque, ita laborantibus, appetitus vigeat, sed etiam accepta alimenta satis quidem diu retineantur in ventriculo, et digesta quidem, ac dissoluta, non vero secreta, atqve adeo laevia, & æqualia, sui que similia,

&

& vel subalbida, vel cinerea, in pultisque, vel cremoris speciem conversa, aut diluta magis & perliquida, secedant; id quod certe haud fieret, si ventriculus adeo deficeret.

XI.

Neque vero opus est, ut ad obstructionem hepatis, & lienis, ac venarum mesaraicarum, vel ad trahentis cuiusdam facultatis imbecillitatem, cum *Fernelio* confugiamus, quando illud quidem iam inter omnes constat, causam mali omnem in intestinorum, & hinc orientium vasorum lacteorum, ac praesertim in glandularum mesenterii, obstructione quaerendam esse, indeque ob prohibitam chyli secretionem, progressionemque & transitum ad sanguinem, vim accidentium omnium, ipsamque demum mortem, proficisci. Atque ut de abdomine, paulatim indurescente, commemorare instituiam, excitatur in illo tumor, cum duritie coniunctus, quando chylus, seiunctus a fecibus, atque a vasis lacteis receptus, & particulis scatens crassioribus, per omnes mesenterii glandulas iter initum recte facere non potest, sed, aditu ad secundi generis vasa, ipsumque receptaculum, intercluso, parte sui crassiore, restagnat, easque butyraceis veluti ac caseosis particulis implicat, & infarcit, ac demum, accedente novo succo, in tumorem attollit, qui paulatim adauctus, vel induratur, ac saepe accessione constringentium particularum, in scirrhum abit, vel excitata in contentis fermentatione & acrimonia, glandulas illas exedendo, excavandoque, varii generis abscessus parit, & utroque modo successurum chylum aditu prohibet. Quo quidem fiat necesse est, ut fons vitalis liquidi, quod per arterias & venas, nervosque movetur, sensim exarescat, atque adeo robur & vires corporis accidantur, ac motus musculorum, ipsiusque ventriculi & intestinorum peristalticus, elangvescat, eoque alvus pigrescat,
nec

nec tantum mucus, ex glandulis intestinorum collectus, adaugeatur, ac veluti in crustam, intus intestina obducentem, abeat, sed etiam feces, ab haustis cibis congestae, una cum succo chyloso atque alibili, in tubo illorum accumuluntur, & aggerantur, infarciendoque ac distendendo tunicas intestinorum, cum tumorem, tum duritiem ventris, ac dolorem augeant. Quum vero ex collectis, & confluentibus humoribus tam variis, in primisque ex pituitosis, a bile, succisve aliis, dissolutis, aer crassior & impurus elevetur; flatus hinc exoriuntur, magna varietate & impetu ludentes, & sonos etiam affectantes inclusi in corpore, unde & inquieti, & iactabundi redduntur aegroti, atque imaginatione contentorum intus, atque obambulantium, animalium imprudentes anguntur. Pro vario autem ventriculi vigore, & haerentium in eodem succorum acie, magis vel minus aeger appetit, & licet appetat alimenta, & digerat, nullum tamen inde fructum capit, sed vividi gratiam coloris amittit, valdeque debilis evadit, propterea, quod quicquid succorum per coecam corporis exhalationem continuo emittitur, non tantum non instauratur, sed tota etiam humorum, a quibus vigor musculorum, visque omnis elastica pendet, moles, ex primis viis sensim in arterias delata colluvie foeda inquinatur & corrumpitur, unde malus corporis habitus, febrisque lenta, & alia eius farinae incommoda succrescunt.

XII.

Atque ita quidem aliquandiu homo affligitur, dum irritata redundantis colluviei pondere & stimulo intestina, validiore atque accelerata suarum fibrarum contractione, protrudant, eiiciantque, quod gravius fuerit & noxium, quantitate, impetuque, maiore, vel minore, pro collectarum fecum copia, & stimulo, ac impellentium intestinorum vigore. Quae vero egeruntur, ea subalbida sunt, vel cinerea, quia succus chylosus, a lacteis exclusus, una cum excrementis, quibus est permixtus, excernitur. Subinde etiam lutosa, & prava, pessimeque olentia, redduntur, quia utile pariter cum inutili, & variarum impuritatum, ex re-

tentis aliquandiu, corruptisque fecibus, & derivatorum ex pancreate, ac hepate, glandulisque intestinorum colluvie humorum, collecta sarcina praecipiti plerumque impetu exturbatur; in quo quidem statu difficile est, aegrum non deficere, quamvis veram singularemque eius rei causam haud proclive sit divinare. Videtur autem verisimile, id ideo accidere, quod ista humorum & fecum moles, collecta in intestinis, pressu suo viscera, ac partes adiacentes, urgeat, arctiusque constipet; post repentinam vero eorum educationem, cum in pristinum tumorem illa rursus attolluntur, ut locum vacuum liberius impleant, perit hoc pacto vis succorum vasis contentorum elastica, in qua omnis eorum efficacia comprehenditur. Extensis enim in locum ampliore visceribus, ipsi una coextenduntur, eoque vim activam protinus amittunt, langvidique inde aegrotantes, viribus iam tum exhausti, & inertes evadunt. Ita vero diutius protracta fluxio exitiosa esse solet, quia succus omnis alimentalis, intercluso com meatu necessario, una cum fecibus per alvum profunditur, eiusque defectu & penuria corpus usque adeo dissolvitur, ut tandem summa oriatur macies, & fatiscente cordis humorumque vitalium motu, corpus concidat, animaque vel invita excedere cogatur.

XIII

His ita constitutis, nunc facile cuivis patet, quo pacto ab alimentis crassae, duraeque & facile corruptibilis materiae, imo & ex multo cibo, potioneque feculenta, & gelida, haec inducatur fluxio, & quamobrem pueris voracibus, gulosis & pauperibus eadem sit familiaris. His enim causis omnibus non lentor tantum intestinorum augetur, sed etiam chylus crudus, spissior, viscosior & feculentus gignitur, qui glandulas mesenterii difficulter pervadit, atque ibi haerens, aggestisque aliis, super alias, particulis in tumorem elatus, & factus glutinosior, obstructions, quibus iter chyli impeditur, parit. Quo loco notatu dignum est, quod in cadavere iuvenulae macie confecto, & exsucco, omni-que orbo pingvedine, observavit *Gvilielmus Coupper*, Britannus, duas in primis glandulas mesenterii, insigniter tumefactas, receptaculum lumbare comprimendo, omni chylum aditu transituque ad sanguinem prohibuisse, *Tab. XXXIV. Oper. ampliss. Anat.* quod inscribitur: *The Anatomy of humane Bodie*, quo *Bidloi* figuras, novem tabu-

tabulis, multisque observationibus, auctas exhibet pariter, erroresque eius perstringit & corrigit.

XIV.

Nec vero alia est ratio, quam obrem aer quoque frigidior, & improvide admissus, atque exercitatio vehementior corporis, praesertim a pastu, plurimum ad inducendum idem malum afferat momenti. Nam solutio ac motio interiorum particularum, quae fit in ventriculo, turbatur minuiturque agitatione corporis vehementiore, & motu horizontali, quo ab uno latere ad aliud feruntur ingesta, atque a repetitis fortioribus diaphragmatis ictibus citius ex stomacho exprimuntur, unde succorum crudiorum proventus venit. Neque vero difficile est dictu, quare ratione eadem passio fluxiones quoque ventris alias, ac praesertim dysenteriam graviores, consequatur. Namque hac non crusta tantum villosa intestinorum, sed etiam glandulae horum, & fontes illius lymphae, quae macerata in stomacho ciborum massa penitus exsolvitur ac conficitur, abraduntur & occluduntur, ut non minus evolutio, quam secretio, transitusque chyli in lacteas pervertatur. Immo vero nunc illud quoque liquet, quam obrem eodem infestentur malo, qui rariore corporis commotione agitati, literis impensius dant operam, vel curis atque sollicitudinibus intenti, vitam degunt, & tarda impeditaque alvo laborant. In his enim relictum a cibis, & cruditatibus, vel ex glandulis intestinorum collectum, lentorem in pituitam quandam viscidam, ac duram interdum concreescere, eaque maximam intestinorum partem obduci, ac veluti incrustari observas, unde necessarius chyli com meatus ad sanguinem prohibetur, & varia graviaque saepe symptomata exoriuntur. Id quod inter alios clarissimo Viro, *Iusto Lipsio*, contigisse, accepimus in *vita Io. Heurnii*: Is enim diu taediosissimo cum malo conflictatus, totoque corpore flaccidus & emaciatus, ac febriles insultus varios expertus, sumto aliquando pharmaco, materiae commotae onus excernens, percepit ingentem se copiam alvo effundere, eamque continuam & cohaerentem. Qua re consternatus, illico *Heurnium* advocat; de vita sua actum exclamans: omnia enim intestina se effudisse. Inspicit alvi proluviem medicus, & laeto vultu ad *Lipsium* conversus: respice, inquit, tropaea de tuo morbo:

hic focus & sentina totius mali iacet. Erat nempe lenta & viscida pituita, paulatim in tota intestinali fistula coacervata, a sedentaria & in studiis contabescente vita, eius figuram referens: quae putrescens, partibusque vicinis noxam communicans, sentinam in totum corpus propagarat. Sic fomite mali expurgato, recreatus est vir eruditissimus, sanitatemque pristinam brevi recuperavit.

XV.

Vti vero defectus inertiaeque bilis cruditatis eiusmodi, & mucilenti, ac viscidi, indeque oriundorum variorum contumacium affectuum: sic fluxionis quoque chylosae, origo existere potest. Quamquam nulla mihi ratio apparet, quamobrem propterea cum *Sylvio Pr. L. I. C. XIII.* praeter eam, quam exposuimus, aliam adhuc affectionis coeliacae speciem, fluxionem dictam ictericam, constituamus. Nam tametsi morbo auriginoso laborantibus eo casu, ubi crassior viscidiorque biliosa materia aegre per contextum vasculosum hepatis transit, ac invalescente demum ob visciditatem sanguinis obstructione, in ductus biliarios non secedit, alvumque minus perluit, haec etiam minus colorata, sed alba plerumque decedat: tamen ea fluxionis nomen haud meretur, quia haec tarda ut plurimum est alvi deiectio, & paucum etiam, id quod descendit, sterminus, idemque subviscosum, ac quasi terreum, quemadmodum iudicavit *Massarius*, vel qualia fere sunt excrementa canum, sicuti *Capivaccius* existimavit. Saepius etiam alvus adstrictior est, & comprimitur plane.

XVI.

Verum satis haec omnia pro instituti ratione explicata esse arbitramur. Quare ut propositi operis modum servemus, ad Signa nunc progrediamur: quibus tamen, quantum ad Diagnosin attinet, diu non inhaerebo, cum satis in antecedentibus, & historia morbi, ea sint proposita, quae ad fluxionem hanc cognoscendam, atque ab aliis, ipsaque leienteria, qua cum confundi saepius solet, distinguendam pertinere videantur. Namque in leienteria ipsa alimenta, prout deglutita sunt, celeriter deiciuntur, tantaque manifesta cruditate, ut excretaimenti assumpti vestigiagerant. At in coeliaca alimenta tam cito non descendunt, eaque digesta quidem, ac dissoluta, non vero secreta, proptereaque laevia, liquida, & diluta, coloreque vel subalbida, vel

cinerea, aut lutosa, ac saepe pultis, vel cremoris specie, egeruntur. Sed his omissis, ad Prognosin contendamus.

XVII.

Hic sedulo operam dare nos oportet, ne propero nimis, & praepostero iudicio quicquam concludamus, in falsasque ruamus praedictiones. Nam quamvis hic affectus, ut *Plateri* verbis utar, non adeo periculosus sit, nisi gravioribus affectibus copuletur, aut illi etiam alia diarrhoea accedat; atque, ut *Fernelius* affirmat, exhausto humore omni supervacuo, profluvium hoc nunquam sponte conquiescat, interdum eodem, quo coeperat, die, interdum postero, aut tertio: tamen contemnendus non est, cum primis vero inveteratus, & cum consumptione corporis coniunctus, propterea quod plerumque cachexia, extremaque macies consequantur. Praesertim si morbus autumnino invadens, ad hyemem extenditur: nam a frigore coeca corporis spiracula constipantur, reiectisque, qui exspirare debebant, humoribus, sordes accumuluntur, ac obstructionum claustra magis firman-
tur; unde in malum corporis habitum ut plurimum degenerat, lentaque tandem tabe hominem interimit, atque e medio tollit. Ille autem fluxus coeliacus, qui dysenteriam gravio-
rem, intestina gracilia hinc inde erodentem, sequitur, plerumque mortem affert, praesertim si tunica, vel crusta villosa, innumerabili-
um congeries vasculorum, est exesa, & cicatricibus, callum aemulantibus, firman-
tur intestina: hoc enim modo percolatio chyli penitus pervertitur, succusque omnis utilis, clausa quippe, & cicatricibus obducta, lactea vascula praeterfluere cogitur, atque una cum fecibus in crassa dilabens intestina, ex alvo denique egeritur.

XIX.

Omne autem Curationis, recte constituendae, momen-
tum in eo positum est, ut evolutio chyli, secretioque a fecibus, & distributio per vias lacteas emendetur, patefactisque vaso-
rum lacteorum, & glandularum mesaraicarum fistulis, chyli in
massam sanguineam derivatio redintegretur. Cui negotio con-
ficiendo remedia serviunt aperientia, cuiusmodi sunt amara,
aromatica, gummosa & resinosa incidentia, salina acria, falsa, fixa &
vol. eaque simpl. & oleosa, itemque acido-dulcia, ac denique ex
chalybe, antimonio atque cinnabari confecta remedia; ex qui-

bus, pro causarum et symptomatum varietate, vaxie mixtis, varia, & convenientia cuiusvis naturae, seligi debent. Plurimum valent infusa et decocta amara, aromat. atqve aperientia, ex rad. chinae, galang. helen. cichor. foenicul. tamarisc. herb. absinth. menth. agrimon. chamaedr. cuscut. fumar. chaerefol. cent. min. card. bened. trifol. palustr. cort. aurant. bacc. iunip. sem. foenicul. cicer. r. in aqua, vel vino maceratis, aut decoctis: in quibus sumi etiam, aut seorsim exhiberi possunt essentia absinthii composita, guttulis aliquot liquoris fl. salis Ammon. martial. tincta; vel eadem absinth. essentia, cum ess. fumariae & tinctura martis cydoniata mixta, addito tantillo spir. salis Ammon. Porro essent. mart. ex fl. sal. Amm. martialibus & vitriolo mart. cum spir. cochleariae extracta, permixtaque essent. G. Ammon. cum sp. salis Amm. dulci, vel vinoso, confectae: Elixir item propr. cum sp. salis dulc. & arcanum tartari liquidum & dulce: nec non pulv. cachect. *Quercet.* vel crocus mart. aperit. aut electuar. chalybeat. Augustan. vel *Sydenhamii*, cum spec. diacurcum. antim. diaph. martiali, & sale absinth. vel tartar. vitriol. vel tartarifat. aut arcan. dupl. Syrupo chalybeato cum gummi Ammon. tincturaque rhei cum cichoraceis, ex consilio *VVepferi*, qui etiam diaphoreticum martis collaudat, in Comite a Dohna, & aliis quibusdam, feliciter usus est *Puerarius* in *Burneti Thes. med. Pr. l. c. Forestus obs. LI. L. XIIIX.* praemisso oxymelitis usu ad deterfionem, cum successu adhibuit decoctum absinthii & menthae, cum syrup. ex absinth. mentha & mell. rosac. Postea ad levem purgationem potionem dedit ex decoctione myrobalan. chebul. fl. ros. r. & absinth. Rom. addit. colaturae syrup. ex infus. ros. pallid. et pauco agarici trochiscati.

XIX.

Ac optimo quidem consilio interdum laxantia & abstergentia, incidendae educendaeque pituitae convenientia, interponuntur, quo infarctus omnis penitus tollatur. Sed caute tamen cum iis agendum, & ita moderanda est fluxio, ne in immodicam transeat, ex ipsoque penu sanguinis humores praeter modum emittantur, aut nimium laceffitus ventriculus ad praematuram admissorum eiectionem assurgat, indeque diarrhoeae, aut leienteriae oriantur. Quare prae ceteris amariuscula con-

veni.

venient, quae abstergendo, aperiendoque, roboris quid relin-
 quunt, nimirum rhabarbarum in substantia, vel extracto, aut in
 elix. propriet. Quibusdam etiam salutare erunt pilulae gum-
 mosae, martiales, & tartareae, quales fieri possunt ex G. Ammon.
 vel Galbano, in acet. squill. solut. cum vitriolo mart. ad albed. cal-
 cin. extr. rhab. castor. & helleb. nigr. Vel adhibeantur pilulae de
 Ammoniaco & Sagapeno *Quercet. benedictae*, gummosae *S. Closs.*
 tartareae *Bontii, Schroederi*, & magistrales *Sylvii*. Quodsi infar-
 ctus adsit intestinorum, tuto quoque, nec sine commodo, cly-
 steres iniiciuntur remollientes & abstersivi. Quanta enim
 horum in educenda pituita vis sit, praeter experientiam quoti-
 dianam, insigni inter alios exemplo esse potest Caroli V. Impe-
 ratoris Legatus quidam, qui (uti *Fernelius* refert) immani intesti-
 norum dolore per plures annos torquebatur, nec non tumore a
 dextro hypochondrio per ima ventriculi in sinistrum exporre-
 ctio. Huic quum sexennio toto remedii genus omne tanquam e-
 molliendo scirrhus adhibitum fuisset; iniectione tandem enemate
 acriori, durum ac firmum quippiam, medio ductu pertusum, pe-
 dis longitudine detractum est; quod ille intestini portionem
 esse metuebat. Sed quum repente levatus videretur, adhibito
 consilio, iterum, ac tertio clystere prolutus est, rursusque simili
 evulsa materia continuo pristinae est valetudini restitutus. I-
 dem expertus est *Anton. Benivenius* in *Paulo*, patre suo, qui mor-
 bo coeliaco male vexatus, cum diu multa, ac varia auxilia, sed
 frustra, expertus fuisset, clystere ex solo lacte condito in ven-
 trem iniectione, ac multis subinde strigmentis depositis, ad pristi-
 nam reversus est sanitatem.

XXI.

Neque vero praetermittenda sunt temere praesidia exter-
 na, solvendo, movendoque muco contumaciori convenientia;
 ex unguent. alth. comp. martiat. G. Ammon. in acet. still. solut.
 aloe, ol. lil. alb. chamaemel. laurin. castorin. cappar. philosoph.
 cornu cervi, vel tartari foetid. & ol. carminat. *Myns. empl. de bacc.*
 laur. carminat. *Sylvii*, & similibus.

XXI.

Atque haec quidem non intermisso usu sunt usurpanda,
 dum penitus mali fons extingvatur. Ut autem vires, quae ma-
 gnam

gnam saepe iacturam fecerunt, conserventur, atque intra naturae modum contineatur fluxio, opera danda, cavendumque sedulo, ne immodica fiat, atque in diarrhoeam transeat. Quare suus quoque roborantium usus esse poterit, modo non ea temere adhibeantur adstringentia, quae humores fortius angustis vasorum canalibus impingant, osculaque & meatus magis obturent, ut laudatus a nobis *VVefferus* scite admonuit *l.c.* Itaque, exigente necessitate, adhiberi possunt foci ex origano, mentha, thymo, pulegio, maiorana, absinthio, melissa, & similibus, cum mastiche, nuce mosch. mac. caryoph. cinamom. zedoar. galang. vino incoctis: Litus ex ol. mastich. nucismoch. menth. bals. Peruv. liquidamb. aqua vitae, adiectis mithridatio, vel theriaca: Emplastra ex tacamah. mastiche, styrace calamit. ambra, cum ol. menthae malaxatis. Vel admoveatur fermentum, aut crusta panis adhuc calentis, cum succo, vel pulv. menthae, absinthio, mastiche, olibano, caryophyll. cinamomo & nuce myrist. castor. vino generoso, vel eius spiritu, madidis. *Forestus* cum successu usus est ol. nardin. mastich. absinth. & menthae, succida lana exceptis. Mox & scutum apponi iussit ex sola mastiche, adiectis aliquot guttulis ol. absinthii. Post diemque unum, aut alterum, theriacam exhibuit cum paucis vino adstringente. Iussit quoque, ut subinde acciperetur diacydonium cum speciebus, praesertim ante cibum. Praeterea, ut confirmetur vis naturae languidior, sumi poterunt species aromat. rosat. diagalang. diarhod. Abb. diamb. de hiacintho, cordial. temperat. cum diascord. *Fracastr.* vel theriaca *Androm.* aut coelest. cum confect. alxerm. Magnam quoque vim & efficaciam habet aqua cinamomi cum vino, vel succo cydon. parat. sola, vel cum essent. theriacali & castorei, quibus, urgente necessitate, parum laudani liquidi permiscendum.

XXIII,

Postremo magna recuperandae valetudinis spes sita est in convenienti victus vivendique ratione, quae quidem ita inunda, ut non minus cibis boni succi, & aromatibus, herbisque aperientibus & roborantibus, conditis, & potu medicato, diluente & abstergente, quam aere puro, commodaque corporis motione, suaviqve somno, & animo, perturbationibus vacuo, afflicta laboransque natura recreetur, ac restituta pororum atque meatuum libertate, ad pristinum sanitatis statum revocetur.